



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opusculvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LXIX. S. Bonifacivs. IV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

ut eos Apostolica auctoritate redarguendo admoneat, & ad mun-
ditiam Ecclesiasticā perducat: & si obedierint, saluabunt animas
suas & ipse mercedem habebit. Veruntamen collocutionem & mensam
communem cum eis agere non recuses. Plerunque contingit, ut quos correctio
disciplinae tardos fecit, ad percipiendam veritatis normam, conuiuarum se-
dula pastio, & admonitio blanda ad viam perducat iustitiae. Id ipsum autem
& in ipsis proceribus, qui tibi adiutorium praestant, obseruare debebis.

Hic auxit in canone. Diesq; nostros in pace dispone. &c. Huius tem-
pore ad Dominum conuersi sunt Angli. Hic iussit, ut supra corpus
B. Petri Missa celebraretur, & in Ecclesia B. Pauli eadem fecit. Hic
ordinauit Episcopos 62. presbyteros 39. diaconos 8. Migravit au-
tem ad Christum 4. Idus Martii.

LXVII.

A.DC.IV.

S A B I N I A N V S.

FABIANVS, natione Tuscus, de ciuitate Blera, de patre Bono, se-
dit annum 1. menses 5. dies 8. Hic addidit luminaria in Ecclesia
B. Petri. Hic ordinauit Episcopos 26. Obiit autem 8. Kal. Martii.

LXVIII.

A.D.C.VI.

B O N I F A C I V S. III.

BONIFACIVS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit menses
8. dies 22. Hic obtinuit apud Phocatem Principem, vt Eccle-
sia Romana, sicut omnium Ecclesiarum caput est, ita etiam Con-
stantinopolitanæ, quæ se omnium Ecclesiarum primam esse iacta-
bat. Hic constituit, vt nullus viuente Episcopo de eius successore
agat, sed tertio die depositionis eius adunato clero & populo fiat
electio. Hic ordinauit Episcopos 22.

LXIX.

A.DCVII.

S. B O N I F A C I V S. IV.

BONIFACIVS, natione Marsus, de ciuitate Valeria, ex patre Io-
anne medico, sedit annos 6. menses 8. dies 12. Huius tempori-
bus fames valida, & inundationes aquarum grauissimæ fuerunt.
Hic templum PANTHEON, quod vocabatur, a Phoca principe pe-
tit. quod & consecravit in honorem S. Mariæ Virginis, & omnium
Martyrum. Hic ordinauit Episcopos 36. diaconos 8. Defunctus est
autem 10. Kalend. Iunii.

LXX.